



A V C T O R A D M I N I M O S .



EN, reuerendi Patres, Priuilegia, nostro Ordini concessa à Pyr-
rho vsq; ad Vrbanum VIII. Quid fecerim licet euidenter con-
stet intuenti; breuiter tamen accipite. Addidi in primis mul-
ta pratermissa à Passarello ex Iulio H. Leone X. Clem. VII. Pau-
lo III. Greg. XIII. Sixto V. omnia summa fide decerpta ex au-
thenticis Archiuij nostri Romani apud P. Zelosum. Ea, quæ
erant hinc inde dispersa, per Regulam præfertim, huc conges-
si. Adieci etiam Constitutiones eorum Pontificum, qui à Græ-
gorio XIV. ubi Passarellus reliquit, hucusq; nobis, vel Mendicantibus in communi aliqua
vel concesserunt de nouo, vel antiqua confirmauerunt, eo semper ordine seruato, vt prius
quæ nostro Ordini, deinde quæ alijs, vel in particulari, vel in communi concessa sunt,
collocentur. Adiunxi quamplurimas celebriores sacrarum Congregationum Concilij, &
Regularium declarationes. Notis quoq; ditauì, quibus innotescit, quæ priuilegia nunc
ualeant, quæ non, quæ reuocata, quæ limitata, quæ ampliata, quæ declarata, quæ
contra Trid. quæ illi conformia, quæ præter illud. In quibus notis ferè omnia Regula-
rium priuilegia, omnemq; priuilegiorum materiam inclusi. Innumerabilibus deniq; gra-
uissimisq; mendis, sensum vel obscurantibus, vel penitus tollentibus, vel retorquenti-
bus expurgauì. In quo opere (quod certè laboriosum fuit) me maxime iuuit F. Franci-
scus Maria de Agrifolijs. Hæc feci. Quæ faxit Deus, vt vobis, reliquisq; Regula-
ribus prosint, & proderunt, si æquo animo, bonaq; voluntate legantur. Sed quoniam
scio, multos prius contemnere libros, quàm legerint, immo quàm viderint; idè per cha-
ritatem rogo

Ne mea dona tibi studio disposita fideli,

Intellecta prius quàm sint, contempta relinquant.

D. Hieron.

Ne de ijs verificetur dictum Hieronym. in proem. lib. 9. *Esaiæ*, Ignorantes, quid au-
diant, & quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt, & antè despi-
ciunt, quàm probent, eruditosque se existimant, & disertos, & in eo se scire
aliquid arbitrantur, si de cunctis scriptoribus detrahant. Proba igitur Lector, &
iudica; ego enim me libenter illorum correctioni submittam, qui in huiusmodi periti,
prudenter, & charitatiuè iudicauerint. Vale.